






25

FACULTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.
PRO-CANCELLARIVS
D. AVG. FRID. WALTHER
CONSILIARIVS AVLICVS ET ARCHIATER REGIVS
THERAPEVTICES PROFESSOR PVBLICVS ET
FACULTATIS MEDICAE DECANVS
DE
OLEIS VEGETABILIVM ESSENTIALIBVS
DISSERIT
ET
PANEGYRIN MEDICAM
INDICIT.

ca

PRO-CALCULUS
ACADEMIAE
MAGISTRORUM
MAGISTRORUM





Alor
In my Schultze's Oris der Kräuter
^{in der Oris}
In olea et. Veg. mundi acutis und
gospiritt vor vms grungz Schilvring
Spiritus, melior pflanz, fleuszig d. Lamin
id. Gungz vund der A vegetable,
melior balsamig d. resinoes. id. fleus
vor der oleo acutis. Dicht resinofum und
wächst in durs meiste plantis anzubey
id. sandlich nach der Art der pflanz
unterschieden d. vund in ein ref. Tere.
bestimmet d. ref. piceum geseid,
welch Eyser vor der Sonn wach
zue gelost id.



DE
OLEIS VEGETABILIVM
ESSENTIALIBVS.



piritu pauco, acri, exhalante, et igneo, *De spiritu
olei igneo
agitur.*
essentiale vegetabilium oleum: at oleo
sulphur vegetabile, seu balsamum, vei re-
finosum, quod in ipso oleo est, ¹ acuitur.
Praeter ea in pluribus plantis, quae inter
se comparantur, earumque diuersis saepe
partibus clarius videtur, qua ratione resinofum terebin-
thinatum, a resinoso piceo, quod sol magis excoxit, dif-
ferat. Propriam indolem quaeque illorum, et oleum,

A 2

et


1) HERM. BOERHAVEN *Element. Chymiae Tom. II. P. 2. scbol.
propof. 30. p. m. 124. sequ.*

III

et vtrumque resinofum feruant, et totidem diuerfos ignem purum a natura figendi, vel colligendi, et conferendi modos docent: licet oleorum essentialium spiritus ad ignis elementum propius accedere videatur. Ex his essentialibus oleis aliqua, vt petroselini, maioranae etc. fin curiosius feruentur, falis spicula, acidis fimillima, rarius tessellas, quae nihilo minus olei saporem solum retinent, cum tempore ponunt, qualia in debiliore oleo non fiunt, cum nobilissimus ille spiritus ex parte exhalauit. De oleo cinamomi Ceylanensi, bene custodito, ex SLARIO refert BOERHAVIUS, ² quod dimidium

2) *l. c. Vsu process. 29.*

An hoc sal et similia alia magis dici camphora merentur? In oleo petroselini subsidunt spicula, saporis acidiusculi, linguam pungentia, quoad formam, et nonnullas alias affectiones, cum floribus benzoe comparanda. Sapor spiculorum minus fragrans, quam olei est. Cum spiritu vitrioli, deinde cum oleo tartari per deliquium facto, non consistantur. In isto promptius, quam in hoc soluuntur. Idem spiritus illa tingit, et ipse tingitur fere croceo colore. Experimento quasi reuiuiscit spiculorum sapor. De oleo ligni Sassafras stauescente, et per se grauiore MAVD *Phil. Transact. n. 450. p. 358.* refert: id oleum in vase aperto, et quidem singula nocte, cum tempestas frigidior esset, tres partes quartas in translucidos, glaciæ similes, albos, pulchros, hexagonos crystallos, trium vel quatuor digitorum longitudinis, et semissem digiti crassos, commutasse, in aqua haud soluendos, igne inflammabiles, et in pristinum statum hoc ipso reducendos. Sic, e fluidis solida, et vicissim e solidis fluida, et mutato particularum positu diuersi colores fiunt. Crystallisationem olei thymi tradit NEVMANNVS *Transact. n. 389. 431.* licet thymi camphoram ipsos crystallos vocet. Vid. BADDAM *Abridg Vol. X. p. 454;* et *l. c.* legun-





V

dimidium ipsius intra viginti annos in purum salem abierit. An igitur ille spiritus tantum fauet illis crystallis, quasi aciculis ponendis? an ipse acidus est, et haec spicula e proprio sulphure suo is parat, sicuti BOERHAVIO l. c. videtur? an, praeter hoc subtile acidum, aliud, et quidem magis fixum in essentiali oleo est, quod cum tempore, vt GEOFFROY putat, explicatur, et essentialis, sed debilioris facti spissitudinem olei auget? ³

A 3

an


leguntur, quae BROWN obiecit. GEOFFROY *Iun. Memoir. de l'Acad. des sciences a. 1721. sur les huiles essentielles*, crystallos in oleo terebinthinae, matricariae, maioranae, fieri obseruat; et a. 1728. *dans la suite des observations*, cum HOFFMANNO salem acidum in illis oleis esse sentit; et rem ex eo probat, quod sal tartari, si additum oleis fuerit, tum crystallos praebeat, et addit: in sapone tartareo, qui e sale tartari et terebinthinae oleo fit, tales quoque nasci.

- 3) Neque vero vtrumque acidum in oleis, balsamis, et bituminibus haberi repugnat: quin in aliis hoc vltimum acidum magis, in aliis vero minus phlogisto auctum esse deprehenditur. De tenuissimo altero acido videtur loqui LEMERY *Hist. de l'Acad. des sciences A. 1708. obseruat. sur la cire*: Mr. HOMBERG a fait voir il y a long tems (1706.) et nous l'avons dit plusieurs fois, que les huiles ne deviennent fort inflammables, que par le melange d'un Esprit acide; mais cette proportion de principes, qui composent un tout si combustible, merite d'être remarquée, et quand de la cire brûle, on pourroit dire, que ce n'est presque que de l'eau, qui brûle. Sic et paucissimum erit phlogiston in balsamo sulphuris terebinthinato, qualem HOMBERGIVS fecit, et pro sulphuris sulphure habuit *Memoir. A. 1703. de l'Analyse du soufre commun*: vt inter alia etiam ideo fallax sit experimentum GODOFREDI l. c. 1704. *Maniere de recomposer le soufre commun, par la reunion de ses principes*; cum hic partes

VI

an ille spiritus propius cum phlogisto alias dicto conuenit, quod accenso sulphure uiuo perit, et, quod minerales acidi spiritus nunc placide, vbi sulphura fiunt, nunc vero auidissime assumunt, quando acido et oleo mixtis

tes aequales spiritus sulphuris, a phlegmate liberi, et istius balsami, vna cum alia parte olei tartari per deliquium misceret, et in collo retortae flores sulphuris inueniret: licet totum experimentum regenerationem sulphuris ex proprio spiritu et reliquis ipsius sulphuris principiis fere probet. Ita, per ea, quae de sale acido, illi quidem succini simili, deinde de sulphureo spiritu, et carbone quidem fossili extractis refert CASP. NEVMANNVS *Praelect. Chymic. edit. a ZIMMERMANNO A. 1740. Part. 5. c. 6. p. 1493.* iudicare licet: inflammabile, quod in carbone est, sale acido utroque augeri. Nam, ad subtile acidum aliud quoque accedit, quod in oleo superest; quale cum oleo petrae comparatur, et eodem chymico labore prodit. Quantum vero e salis acidi copia, quae igne ex ambragrysea per retortam euocatur, colligi potest, in hac, a subtiliori acido, quod natura dedit, inflammatio minus, quam in fossili carbone iuuatur. Etsi enim NEVMANNVS *de Ambra grysea Philos. Transact. n. 434.* e drachma vna granum vnum vel alterum salis succini se produxisse scribat: tamen IOH. BROWN *n. 435.* eiusdem ambrae sesquiuunciam igni retortae commisit, neque salis acidum, neque superlitem resinam, vt in succini destillatione accepit. Et GODOFR. HANCKWITZ *cod. n. 435.* ex vnciis duabus ambrae, cum duplo arenae destillatis, praeter residuum bituminosum, oleum limpidum et balsamicum, quod petroleo simile erat, impetrauit; et, hoc oleum, sub rectificatione, phlegma magis diluti, quam aceti saporis dedit; quin, simili alio labore, quem solum cum ambrâ is suscepit, igneque primum moderato, eadem, sicut ambrâ protulit; sed igne aduucto, terrae salinae albae, et cum acidis modice effervescentis, humido autem aëre per deliquium fluentis, grana tria manere vidit.



mixtis inter experimenta quoque flammae fiunt? ⁴
 Quod si spiritum, quem diximus, qualis in acidis quo-
 que mineralibus est, ac in experimentis flammae pro-
 ferendae fauet, ⁵ ignem, vel sulphur nominaueris, tum,
 praeter

4) GÉOFFROY *Memoir. de l'Academie des sciences A. 1726. Moyens d'enflammer les huiles et les beaumes naturels par les esprits acides*, spiritum inflammantem facit e partibus duabus Nitri siccissimi, et parte vna optimi olei vitrioli; qui oleum terebinthinae, et alia accendit. HOFFMANNVS sumit partes aequales, et noster vult omnem effectum ferre spiritum Nitri, qui phlegmate penitus destituitur, si cum sufficiente vitrioli oleo rectificato misceatur. Nam, et oleum terebinthinae, et alia olea essentialia plantarum indigenarum hoc spiritu accenduntur, vt ipsum aliis spiritibus fumantibus, quacunque ratione factis, ille etiam praeferat. (Praeter spiritus, quos diximus, fit fumans Glauberi spiritus e partibus tribus Nitri et vna olei vitrioli, vel alius fumans e tribus olei vitrioli et quatuor Nitri siccissimi partibus destillatis.) Sic noster drachma vna vtriusque, et spiritus nitri, et olei vitrioli, drachmas tres olei terebinthinae, et praeterea oleum Citri, et Menthae accendit. Addidit ad spiritum HOFFMANNI fumantis drachmas duas, olei vitrioli concentrati semissem vnciae, et ab hoc oleum Foeniculi flammam tulit; quod solo fumante spiritu ille efficere non poterat. Ita, vncia olei Iuniperi flammam tulit, cum adderetur mixtura e spiritus fumantis et olei vitrioli vncia. Et, spiritus Nitri fumantis vncia, cum semisse vnciae olei vitrioli concentrati accendit Terebinthinam; scilicet, sicut recens ea ex arbore fluit; et haec flamma tum diutius vrit, et explosiones per temporis intervalla facit, quales GÉOFFROY incensis purissimis Balsamo Copaibae, et de Mecca quoque observavit. Sigillatim hic vltimus balsamus flammam cum impetu et fragore edit, veluti tormentum exploderetur. At oleum Petrae accendi nullo modo potuit.

5) Talis est spiritus mineralis, quem alcoholis vini partes duae,
 ab

VIII


praeter hunc ignem, erit in ipsis acidis spiritibus, et salibus, alius ignis, magis fixus, seu crassius sulphur, neque cum ipso phlogisto confundendum. An ex vno fit alterum, et in vegetatione, e sulphure minerali tum fit vegetabile, vel subtilissimus ille essentialium oleorum spiritus? Sed, cum acida sulphuris esse plena videantur, cur manent talia, et calorem sanguinis temperant, vbi hominis concipiuntur venis, nec potius quaecunque sulphur, vel ignem, a calore et motu sanguinis explicari sinunt?


*De acido,
ante destillationem
oleorum, cum vegetabilibus
digerendo
disquiritur.*

Quo minus euitum argumentis est, quod, si acida, vegetabilium oleorum destillatione essentialium, ad aquam addantur, tum olei maior copia inde fiat, prodeatque. Etsi enim inter alios HOMBERGIVS⁶ plantas hoc modo plurimum olei essentialis dare, et e libra feminis Foeniculi, scilicet, cum, ante destillationem, aqua vnciis quatuor spiritus salis acuta esset, pondus olei, quod alias inde prodire solet, tertia parte auctum destillasse, quin, spiritu vitrioli ad infusum florum rosarum addito, etiam horum oleum maiori copia prouenisse scribat:

ab vna olei vitrioli albi, fortissimique parte, inter destillandum assumunt; et magis hic aquae innatat, cum aethereus inde fit liquor, si ipse quidem spiritus a sale tartari, vel, secundum HELLOTVM *Memoir. de l'Academ. des sciences A. 1739. p. 62. seqq.* a valde sicco argillae puluere, cum, vel sine additis cineribus clauellais abstrahitur, et rectificatur.

⁶) *Memoires de l'Academie des sciences A. 1700. sur les huiles des Plantes.*





scribat: tamen, ab acido adiecto, quippe prae ceteris penetrante sale, meliorem viscosi, et in plurimis vegetabilibus obuii talis succi solutionem, hinc vberiore extractionem et prouentum ipsius olei sperare, quam a sale ruditer adiecto, et omni coctura ac vaporis motu, olei augmentum polliceri fas est; praesertim, cum tale oleum nonnisi singulari et diuturna digestionem, ac folis vi, in plantae organo ante praeparatum, et perfectum sit. In aliis vegetabilium partibus, et plantis, quae balsamum, et subtilem resinam ferunt, potius meruitur, ne, acidis quoque additis, quae extrahuntur moleculae magis tenaces fiant, et partem essentialis ac destillandi olei abscondant, et retineri iubeant. Aromaticae plures plantae omne oleum essentialia sola coctione, quin citius demittere videntur, quam, ut ex acido alieno addito, et subtilissimo spiritu augmentum olei fieri verisimile sit. Cui essentialis olei augmento equidem praesertim usum, quem acida veteris olei, et ex parte corrupti, noua destillatione et rectificatione praestant, ubi ad aquam spiritus salis, vel oleum vitrioli, deinde vetus oleum additur, et, inter destillandum, pars spissa terebinthinata retinetur: reliquum vero, quod de puro oleo superest, id cum aqua alembicum transit, et essentiali oleo, recens quidem parato, simillimum habetur.

Etiam, secundum BOERHAVIUM fallitur, qui *De alio sale cum adhibendo distillatur.* ope salis communis, vel largissime quoque additi, putat: se plus de illo spiritu naturum, qui oleo vim

B

et


X


et pretium addit; sicut vana spe tenetur, qui plus se consecuturum de spiritu et oleo credit, cum alio sale alcalico, vel falso vitur; quemadmodum NEWMANNVS ⁷ monet. Vere de omni sale valet, quod BOERHAVIVS dicit: „scilicet, ebulliens sale saturata aqua, „quae destillare cum oleo debet, calidior erit, quam „si aqua pura fuisset: hinc plus fundetur de illo oleo „vegetabili etc.„ Et cum alcalica, secundum HOMBERGIVM * volatilifentur, et haec atque media familia magis, quam acida, poris peruia, vel cum terra coniuncta sint; igitur, inter plures labores fieri poterit, vt sal vna ratione tantum solutioni olei faueat, quantum altera ratione ascensum cum aquae vapore prohibeat. Ita BOERHAVIVS ⁸ salis marini myriam adhibet, vbi oleum parat caryophyllorum, cinnamomi, ligni sassafras, et alia, quae e fructibus, corticibus et lignis petuntur; scilicet, vt oleum a mucilaginoso soluat et liberetur, quod in opere cum puriori oleo iungi,

7) *l. c. P. I. c. 17. Sect. 3. de oleis destillatis* dicit: Andere nehmen Tartarum, andere sal alcali; Tartarus ist ein schwer dissolubler Körper, und mit häufigem oleo versehen, dem das Wasser nichts anhaben kann; sal alkali attenuiret hingegen die olea, und disponiret sie zur seiffenartigen consistenz. Auch alteriren die acida die olea, und generiren sie zur Harzverdung, und gesetzt, es käme ein häufiges oleum, so ist doch noch die Frage, wie seine qualität ist, ob es auch mit andern oleis essentialibus überein komme?

* *Memoir. de l'Academie Royal. des sciences A. 1714.*

8) *l. c. de his rebus confex. Process. 27. 28. 29.*





iungi, et alembicum transire obseruatur. Sed, alio loco acidum, v. c. drachmam olei vitrioli is addit illis, quae diuturniorem macerationem poseunt. Quorum genere destillandarum experientia optime discernit, cui quidem cum fructu hoc vel aliud sal debeat addi. Interdum longiorem macerationem praeferre, quam acidum, aut aliud sal addere expedit.

Quoties cum sale et aqua ea iuuat digerere, quorum olea essentialia desiderantur, toties fere ea, quae maiori quoque copia inde prouenerunt, haud ita facile spissa fiunt, spiritumque nobilissimum amittunt; quam si sal non fuerit adiectum. Sed maiori quoque copia comparatur oleum, et ipsum post primam distillationem magis purum redditur, hinc cum tempore minus debilitatur, si distillatio continuatur, licet guttae olei non amplius transeant; et, haec altera pars aquae, quamdiu saporem et odorem habet, si colligatur, deinde oleum denuo cum hac secunda et prima aqua misceatur, et rectificetur. Solent enim hac altera distillatione viscosae plures partes ab iterum transeunte alembicum oleo, sicut ab illo, quod in aqua distillata occulatur, separari, ut partes olei rectificati ita per applicatam alteram vim ignis puriores et liberiores fiant, et augeantur aliis, quae aqua antea contine-

*Vitrioles a-
liae enchei-
reses docen-
tur.*

B 2

bantur.


- 9) *Process.* 23. acida, dicit, haec olea expedire, forte et quodammodo argere, BOYLEVS, HOFFMANNVS, HOMBERGVS, LE MORT, et alii dudum iam descripserunt.

XII

bantur. Quoniam hac rectificatione subinde sal quoque addi possit, ut illi nouae destillationis fructus hoc magis obtineantur; nihilo minus nouum ignem, atque calorem sat efficacem esse contendimus, quo illos operae fructus sola rectificatione, quam fieri potest, obtineamus; et, praeter ea de addito sale, indeque sperando olei augmento, vel maiori ipsius depuratione, ¹⁰ nisi semper, tamen in plurimis exemplis, ea, quae antea, vel ex NEVMANNO quoque adduximus, chymicum dubitare iubent. Non tantum hae aquae rectificationem olei iuuant, et plus olei purioris redire faciunt; sed etiam nouis destillandis cum fructu affunduntur; quemadmodum inter alia de Cinnamomo et ipsius oleo, largius quidem comparando, docuit BOERHAVIUS. Neque vero, post primam olei destillationem, semper decoctum, quod manet, abiicitur; nisi plane alienum et fatuum odorem et saporem acquisiuerit, et aliter prorsus iners; nullique vsui seruandum videatur. ¹¹ Nam, in pluribus exemplis,

10) Pro puro oleo obtinendo, quod neque duplo tempore debilitetur et corrumpatur, sicut vulgari modo factum agit, GEOFFROY *l. c. A. 1721. sur les huiles essentielles* vult Essentiam v. c. Citri fieri, deinde spiritum vini abstrahi, oleum innatans siphone separari, et reliquum essentiae nouo labori reseruari. Etiam Essentia, si multa aqua diluitur, et destillatur, reddit purum omne oleum, quod extractum antea erat.

11) Ita BOERHAVIUS *l. c. Process. 29.* de oleo Cinnamomi scribit: Si vero aquas duas priores, saporem et odorem Cinnamomi



emplis, quae iam recensēbimus, oleum ab aqua vbi separatum fuit, tum aqua destillata ad id, quod manet, denuo affunditur, et ita pars olei noua destillatione impetratur.

Plurima vegetabilium essentialia olea e vesica, non-*Oleum e Cro-*
 nulla autem selecta e longiori phiola destillare oppor-*co fit.*
 tunum, aliquando etiam necessum est; qua de re
 pauca exempla modo proponimus. De croco, quan-
 quam aromate fragrantissimo, se oleum inde consecu-
 turum, fere desperabit, qui aquam e vesica, nedum
 cucurbita vulgari destillat. Nihilominus, si e phiola

B 3

sesqui-

momi ferentes, ab oleo suo, teorsim seruando, sollicitè separatæ,
 atque decoctum superstes Cinnamomi, adhibes loco aquae
 communis, ad destillationem noui Cinnamomi, habebis longe
 plus olei, et aquam primam instar olei ipsius gratissimam, can-
 didissimam, pinguisimam. Quando vero continuatur destilla-
 tio, donec sapor odorque omnino desit, vel, quando hoc
 viso noua aqua residuo affunditur, tum fori destillatione
 ascendit aqua leuis, pellucida, tenuis, inodora, saporem
 acidum, frigidum gerens, quae solet inter destillandum ro-
 dere alembici aes, hinc viridescere, nauseosa, emetica, chal-
 canthina, hinc et anthelmintica euadere. Caeterum nullam
 amplius notam Cinnamomi prae se fert: abiicitur ergo, post-
 quam seruiuit huic demonstrationi. In ahenò manet decoctum
 crassiusculum turbidum, rubro-fuscum, acido-austerum, ad-
 stringens satis valide. Ipse vero superstes Cinnamomi cortex
 perfecte Cinnamomum adspèctù refert, et, si inter fasciculos
 optimi Cinnamomi aliquamdiu reconditur, denuo inde vires
 rapit in se, spolians eadem mensura diues Cinnamomi corpus.
 Haec vltima in ahenò visa. BOERHAVIUS etiam de Caryo-
 phyllis *Proc. 26.* obseruauit.


XIII

sesquialnae, vel maioris longitudinis, post unius vel alterius diei moram, qua croci optimi, non nimis fici semissis librae, cum tribus vel quatuor libris aquae digeritur, nunc destillationem susceperit, tum scrupulos circiter duos olei acerrimi, et fragrantis gustus et odoris, etiam ideo ad paralyfin linguae commendati, ille impetrabit, et separabit. Deinde, aqua destillata, quae acido quoque per antea dicta augeri poterit, cum residuo miscetur, et, repetita destillatione, scrupulus, vel semissis drachmae olei denuo proveniet.¹² Sit autem phiola inferiore sui parte trium vel quatuor cantharorum humoris capax; nec seligatur, quae fundum nimis crassum obtinuit. Nam, haec igne, qui post aliquod cocturae tempus adaugeri debet, facile rumpetur.

Oleum essentialiale e Galbano et aliis in officinis praeparari deberet.

Galbani oleum, quod in officinis reperitur, per retortam destillatur, nec fere, prae empyreumate, quod suscepit, odorem, et melioris notae vires ipsius Galbani retinuit, ut potius plurimas inter elaborandum deperditas, vel vitiatas fuisse constet. Idem indicandum

12) IOH. CHRISTIAN ZIMMERMANN *annotat. ad NEWMANNI l. c. P. III. c. 53. p. 810.* e croci libra olei sesqui drachmam accepit. Et, cum NEWMANNVS id oleum in croco non inuenerit, iste non dubitat, quin nimis paruum croci copiam sumserit, et haec ipsam fefellerit, fere sicut Angli eidem NEWMANNO occasione Ambrae gryseae similem erroris causam l. c. opposuerunt.




candum erit de empyreumatico officinarum Storacis, et Benzoës oleo. Quae, si fere exulare debent, satius, et pro intentione medicorum magis accommodatum est, essentiale Galbani, vel gummi-resinae alius oleum facere, quod ex eodem vase, et iisdem fere cautionibus paratur, quemadmodum de oleo Croci diximus; quanquam ipsum etiam e maiori vesica, sicut plurima horum olea gummatum cum aqua digestorum, v. c. Gummi Animae, Aëae foetidae etc., proferri possit. Igitur seligatur Galbanum mollius, et sequax, nec ficcum, eiusque libra vna, per quatuor vel plures dies, cum aquae communis libris quatuor digeratur, deinde fiat destillatio, et drachmas circiter sex olei, qua odorem et vires praestantissimi acquires: aqua vero destillata, cum oleum iam separatum fuit, denuo affunditur residuo, et noua destillatione vix minor copia olei sequetur. Ipsum laborem post praeuiam nouam digestionem repetere saepius potes, et proventus olei maior erit, si post alteram destillationem aliquam partem noui gummatum addideris. Est autem gummi Galbanum, prae multis alijs gummi-resinis, olei ferax, et resinofum, valdeque errant, qui Galbanum aceto penitus solui et depurari volunt; cum tamen non sine spiritu vini efficiatur id, quod consistentiam praebet, et veras Galbani vires transfert in Galbanum, quod aceto depuratum in officinis audit. Expediit autem in hunc finem Galbani librae semissem prius vncia spiritus vini rectificatif.


XVI

ficatissimi emollire, deinde acetum addere, et tandem solutum gummi resinofum transprimendo secundum artem depurare. Contra, de gummi Ammoniaco omnes norunt, cum aqua tritum in lacteum liquorem abire; sed totum aceto dissolui. Qua nos occasione monemus, quod subinde medici remediorum formulas in officinas mittant, quibus Gummi Galbanum, Opopanax, vel similia alia, cum aqua vna alteraque destillata, saltem liquore terrae foliatae Tartari aucta, extrahi, quin vna cum extractis vegetabilium pluribus hac mixtura solui iubent; quanquam longiore quoque digestionem vix gutta olei, quae saltem odorem fert, hoc et aliis menstruis eruatur, nedum, ut tenaciorum partem medicamento inde iungi constet. Praestat igitur, in hunc finem aqua veronicae cum vino, vel simili alia, ita destillata, vti. Efficacia quoque et partim pergrata olea, sed minori quantitate, ista methodo dant gummi Anima, Storax, Benzoe, Asa foetida: Et, haec omnia, siue interne, siue externe, per se, aut cum aliis praescribantur, tum pro scopo dissipandi id, quod vasa obstruit, aut aliter subsistit, spem medicorum magis explere valent, quam quidem empyreumatica olea non faciunt.

Oleum coeruleum seminis seseli montani I. B. et alia proponuntur.

E longiore phiola, qualem diximus, in celebri apud nos officina Linckiana parant oleum seminis Sileris montani BOERH. 2. quod est Sefeli montanum et officinarum IOH. BAVHINI. Id oleum fragrantissimum cumini





Cumini odorem refert, et e libra feminis, cum aquae cantharis duobus vel tribus digesta, circiter olei quatuor vel quinque drachmae prodeunt, et colliguntur. Nos hoc oleum ideo iam adduximus, quod, sicut per pauca olea faciunt, inter destillandum, primum dilutum, deinde pulcherrimum et saturum azureum colorem exhibeat; quo etiam alii liquores spirituosus tingi, et viribus, praecipue diureticis augeri possunt. ³ Eodem colore idem conuenit cum oleo radices Pimpinellae coeruleae, quod e phiola longiore, sicut e vesica destillari potest. In officina, quam laudauimus, inter olea, quae ex ampliore vesica, viginti et plures cantharos capiente, destillantur, et quidem duplici labore, superius quidem descripto simili, ex magna herbae Cochlea-

- 13) Colores oleorum essentialium refert BOERHAVIUS *l. c. ad Process. 30.* oleum Menthae fuscum, Lauendulae flauescens, Cinnamomi aureum, Abinthii nigro-viride, Chamaemeli et Millefolii coeruleum, Anisi album fere, Camphorae candidum, GEOFFROY *l. c. A. 1721.* dicit: in Italia oleum Chamomillae coeruleum est, in Gallis minime. Ruta et Abinthii species olei nunc viridem, nunc vero fuscum colorem exhibuerunt. Plantae variam aetatem, aestiui caloris vim, et plura accusat, quae haec ita variare faciunt. Ad singulares de oleis obseruationes hic etiam addit: in oleo Abinthii parum amari saporis esse, (tamen oleum Cort. Aurantior. prae ceteris amarum gustu deprehenditur,) oleum Piperis dulcem, oleum Thymi omnium acerrimum saporem in lingua excitare: radicem Enulae, loco essentialis olei in alembico et rostro ad modum cerae liquatae et refrigeratae concrefcentem dedisse essentiam. Plura vid. apud BOERHAV. *l. c.* et alios.

XVIII

Cochleariae copia parant acerrimi saporis et fragrantissimi odoris oleum. Nam, si herbae, quantum brachiis complecti licet, acceperis, et destillatione v. c. drachmam olei obtinueris et separaueris, tum ad aquam destillatam addas aequalem herbae recentis copiam, et ita, noua destillatione, olei praecedentis vel duplum quoque impetrare poteris.


Praeclare res suas gessit et absoluit, nunc vero tendit ad metam, quam sibi proposuit


NOBILISSIMVS ET DOCTISSIMVS
D O M I N V S
FRIDERICVS SAMVEL
SPARR

WINDSHEMIO - FRANCVS
MEDICINAE BACCALAVREVS.

Hic biennio in Altorffina, et tribus fere annis in hac celeberrima Academia boni et industrii ciuis officia impleuit, et in arte salutari fundamentum pulchre iecit, animumque sedulum et sagacem prodidit, et ad faciendum medicinam praeparauit. Igitur artis professores eum voluntate sua et amore complexi sunt, atque conatus ipsius et labores iuuare studuerunt. Qui eius laudibus quoque suffragati sunt, cum in primo
doctissi-








doctissimorum ordine staret, ac Baccalaurei honorem mereret. Neque vero nuper summos in arte honores illi denegandos statuerunt, cum altero examine practico, quantum usu et exercitatione valeat, dignissime probasset. Ut autem id plene feliciterque adipiscatur, quod Facultatis Doctores sibi decreuerunt, diem XXX Septembris hi elegerunt, quo h. l. q. c. Dissertationem, quam *de Exercitationibus adolescenti aetati salubribus* scripsit, defenderet, et licentiam assumendi artis Doctoris titulum et priuilegia obtineret. Vos, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLUSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, ATQUE CIVES GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI, ut praesentes nobis et Candidato fauere, et actum solemniorem, splendidioremque facere velitis, enixissime, officiosissimeque rogamus. Dab. Lipsiae D. Dom. XV. p. F. Trin. A. MDCC XLV.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.







00 A 6419



f


5b.

29. Stock Handschrift

W 18







er

FACULTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.
PRO-CANCELLARIUS
D. AVG. FRID. WALTHER
CONSILIARIUS AVLICVS ET ARCHIATER REGIVS
THERAPEVTICES PROFESSOR PVBLICVS ET
FACVLTATIS MEDICAE DECANVS
DE
OLEIS VEGETABILIVM ESSENTIALIBVS
DISSERIT
ET
PANEGYRIN MEDICAM
INDICIT.

ra